

In epilepsiâ confirmatâ per ἰδιον ἀθεῖαν de rasis capillis per universum caput adplicare jubet *Septalius l. 6. c. 59.* quòd ad peripheriam humores trahant virulentos. Eadem ad usum hunc commendat *Nic. Piso l. c. c. 19.* Sincipiti etiam admovet *Riverius prax. l. 1. c. 8.* continuò autem per eadem fluere debent humores. Nam ulcera capitis manantia, si fiant pueris, eos à morbò caducò præservare asserit *Hipp. l. de morbò sacrò.*

Symphatica verò designat locum illum, à quo materia communicatur cerebro. Sic *Galenus l. 3. de loc. aff. c. 7.* ligavit non solum partem affectam, sed etiam ulcus excitavit ex *thapsiâ & sinapi.* *Trallianus lib. 1. lepidiò herbâ vesicante*, loco illi adplicatâ, à quò aura frigida ascendebat, restituit epilepticum.

In apoplexiâ evacuatione prægressâ vertici vel futuræ coronali validum vesicans apponere jubet *Septal. l. 6. caut. 64.* quod tamen *Rhodus in analect. ad eundem* in sympathicâ suspectum habet, cum plusculum materiæ attrahere posset. *Henricus ab Heer observ. 21.* propter tarditatem operandi vulgaribus & usitatis vesicantibus præfert illum modum, quò stupâ ardente ope cucurbitulæ per flammam vesicam magnam excitat.

Ad affectus soporosos, cum aliis cedere nolint, vesicatorium magnum vertici & sincipiti adplicat, illudq; efficacius additione euphorbii parat, cum è profundò capitis humores attrahat ad superficiem, *River. l. 1. prax. c. 4.*

In convulsionibus post aures, brachiis, imò partibus affectæ oppositis utiliter admovet vesicantia *River. l. 1. c. 6.* In epilepticis verò infantum in nuchâ & pone utramque aurem adplicat *Thom. Willis de morb. convuls. c. 4.* quatenus per eadem cum latice ferosò plures particulæ heterogeneæ & morbificæ simul effluunt. Hoc ipsum confirmat *idem* historia puellæ epilepticæ, quæ cum super carbones ignitos epilepticò insultu correpta corrueret, facies ei & sinciput tam miserè concremata sunt, ut craniò, cute & carne denudatò, eschara lata & profunda inureretur. Ægrota interim, quàm diu ulcera ab unctione contracta manabant, paroxysmis caruit. Postquam autem sanabantur, caducus rediit, *lib. cit. c. 3.*

In catarrhò ad revulsionem vesicatoria cervici & brachiis appo-
C 3 sita